

non recitans breviarium. Id patet ex *Const. 135. S. Pii V.* quæ incipit *In proximo*. Ad hanc vero recitationem officii parvi non tenetur clericus pensionis possessor si ex alio titulo teneatur ad recitationem breviarii ex. gr. eo quod jam fuerit in sacris ordinibus constitutus.

De erectione Beneficiorum ecclesiasticorum.

38. Eriguntur beneficia ecclesiastica cum formaliter acceptatur a Curia ecclesiastica, et erigitur in titulum canonicum pia voluntas institutoris designantis condiciones servandas in beneficio, et bona seu redditus in dotem beneficii ipsius. Porro formalis hæc acceptatio et erectio perficitur per decretum quo auctoritate ordinaria episcopus constituit aliquod determinatum officium sacrum servatis conditionibus a pio institutore designatis, eique in perpetuum adjungit titulo dotationis bona designata ab eodem pio institutore. Formulæ autem pro variis foundationibus legi possunt penes *Monacelli in opere Formularium legale practicum fori Eccl. t. 2.*

39. Potest autem institutor in limine foundationis adjicere quas-cunque condiciones, seu leges, dummodo possibiles fuerint et honestæ, et dummodo ab auctoritate Ecclesiastica acceptentur. Id deducitur ex *c. 11. h. t.*, expressius docent *cap. 23. De Jure patr.* et *c. 16. De censibus*. Servandæ vero sunt condiciones hujusmodi adjectæ, ita ut si collatio fiat, neglectis conditionibus in fundatione appositis, nulla censeatur. Ita constituit Concilium Tridentinum in *sess. 25. c. 5. de Ref.* Hæc dispositio Tridentina ex interpretatione S. Congregationis Concilii ab auctoribus relata constituit legem canonicam universalem. Hinc condiciones adjectæ in limine fundationis pertinent ad ipsam idoneitatem clerici promovendi ad beneficium, ita ut idoneus non sit ad beneficium assequendum quas-cunque qualitates ab institutore adsignatas non præferat.

40. Hinc etiam qualitates seu condiciones appositæ in fundatione immutare nequeunt sive patronus, sive successor, aut hæres fundatoris etiam cum consensu Episcopi, ceu etiam S. Congregatio Concilii pluries tenuit, prout patet ex relationibus relatis a Pyrro Corrado *Praxis Beneficior. l. 1. c. 10. n. 145.* et a Fagnano *comm. ad cap. Conquerente 6. de Clericis non resid. n. 22.* Ratio est; quia posita fundatione beneficii, intrat lex tridentina de obligatione observandi dispositiones in limine fundationis positas. Nec iisdem conditionibus censetur derogari per clausulas derogatorias descri-

ptas in literis Apostolicis, nisi expressa mentio de illis conditionibus fiat. — Porro condiciones hujusmodi valent et servandæ sunt non solum si sint præter jus ex. gr. si beneficio simplici assequendo adjicitur qualitas ut clericus sit sacerdos, doctor etc. sed etiam si sint contra jus, ex. gr. si collatio, aut institutio reservetur clericis alicujus familiæ. Condiciones vero debent esse possibiles et honestæ. Honestas vero excludit non solum quidquid bonis moribus et virtutibus moralibus adversatur sed etiam quidquid redderet cultum et officium ecclesiasticum minus utile vel minus honorabile. Quare inhonestæ in sensu canonico sunt etiam condiciones, quæ ad ordinum ecclesiasticorum officia vocarent irregulares.

De Collatione Beneficiorum.

41. De divisione beneficiorum ex modo provisionis agentes, vidimus, alia esse beneficia electiva, alia patronata, alia vero collativa. Priorum beneficiorum provisio efficitur, prævia electione vel postulatione, de quibus agitur in titulis 5.º et 6.º lib. I.

42. Secundi generis beneficiorum provisio fit per præsentationem factam a patrono et consequentem institutionem dandam a Superiore, de quibus sermo erit in titulis 7. et 38. hujus libri. Remanet ergo in titulo nostro agendum de provisione beneficiorum collativorum, quæ proprie dicta *collatio* nuncupatur. Collatio definiri potest:

43. Provisio beneficii vacantis favore clerici idonei facta pleno et proprio jure a Superiore ecclesiastico habente potestatem. Differentia specifica hujus provisionis ab aliis modis provisionis in eo consistit, ut fiat a superiore seu a prælato ex proprio et solo jure prælati seu absque electione vel præsentatione per alios facta. Ex definitione sequitur, solummodo personam ecclesiasticam posse conferre beneficia. Hinc laici beneficia conferre nequeunt. Et quidem hoc jus conferendi neque acquirere possunt laici ex consuetudine aut præscriptione *c. 51. De Elect. et c. 5. de Jure patr.* At laici ali-quod beneficium conferre possunt ex privilegio apostolico.

44. His positis, queritur: Quinam est legitimus beneficiorum collator? 1.º Confert beneficia in universa Ecclesia Romanus Pontifex. 2.º Ordinarius collator pro sua diocesi est Episcopus. 3.º Ex particulari titulo beneficia conferunt etiam alii clerici. — Primo loco Romanus Pontifex potest conferre beneficia in universa Ecclesia. Nam quemadmodum ipse potestatem habet in omnes fideles,

ita etiam disponere potest de bonis et juribus ecclesiasticis *cap. 2. de præb. in 6^o. et Clem. 1^a. circa finem Ut lite pendente.*

45. Distinguuntur vero a Canonistis quatuor modi, quibus Romanus Pontifex in aliis diocesisibus extra romanam diocesim confert beneficia: 1^o. jure præventionis, 2^o. jure concursus, 3^o. jure devolutionis, 4^o. jure reservationis et affectionis. Et primo quidem jure præventionis confert beneficia R. Pontifex, cum collatorem ordinarium prævenit disponens de aliquo beneficio pro tempore quo vacabit. Hoc jus exercet R. Pontifex 1^o. cum alicui concedit gratiam expectativam ad assequendum beneficium proxime vacaturum; *ex cap. 2. de præb. in 6.* 2^o. Alicui concedens coadjutoriam cum futura successione in aliquo peculiari beneficio. Merito autem hoc jus dicitur præventionis; quia revera prævenit auctoritatem ordinarii collatoris. Etenim in jure canonico regula generalis est, ut ab ordinariis locorum beneficia solummodo vacantia conferantur. Hinc in *c. 19. sess. 24. de Ref.* in Tridentino interduntur gratiæ seu literæ expectativæ et *c. 7. sess. 25. de Ref.* prohibentur coadjutoriæ. Solus ergo R. Pontifex, qui est supra jus commune, concedere potest jus ad beneficium nondum vacans quemadmodum videre est in *c. 14. h. t. in 6^o.*

46. 2^o. Jure concursus confert R. Pontifex beneficium, cum concurrat cum alio ordinario collatore; scilicet cum confert beneficium vacans, quod proprio jure possit ab alio conferri. Hoc in casu juxta *c. 31. de Præb. in 6^o.* datur locus præventioni, ut scilicet juxta regulam juris *54. in 6^o.* *Qui prior in tempore, potior jure,* ille clericus prævaleat in jure, cui prius fuit collatum beneficium. Quod si definiri nequeat an prior R. Pontifex, vel inferior collator beneficium contulerit, quia eadem die utraque collatio facta est, præferendus est qui possidet; quod si neuter possideat præfertur ille, qui beneficium a R. Pontifice accepit; ita in *cit. c. 31. de præb. in 6^o.*

47. 3^o. *Jure Devolutionis* confert Romanus Pontifex beneficium ecclesiasticum 1^o. si inferiores collatores negligentes fuerint in collatione, seu beneficium vacans non contulerint intra tempus statutum a jure *c. 8. de Const.* Recolendum enim est, sacros canones designasse tempus ad collationem beneficiorum utile. Pro beneficiis majoribus statutum est in decretalibus et præcise in *c. 41. de Elect.* ea non debere vacare ultra trimestre. Pro inferioribus beneficiis vero semestre utile ad conferendum adsignatum est *c. 2. de*

Concessione Præb. et c. 5. ejusdem tit. Negligentibus primis et ordinariis collatoribus, jus conferendi ad superiorem immediatum devolvitur, ac tandem ad R. Pontificem. 2^o jure devolutionis majorum beneficiorum collatio transibat ad R. Pontificem immediate, si in electione sprete fuisset forma canonica, vel a majori parte Capituli electus fuisset scienter indignus, aliis Canonicis non contradicentibus *c. 18. de Elect. in 6.* Hæc vero quoad beneficia majora fere omnia immutata sunt postquam eadem reservata fuerunt Romano Pontifici.

48. 4^o. *Jure reservationis* confert Romanus Pontifex beneficia. Reservatio definitur 'Avocatio beneficii vacaturi a collatore ordinario ad superiorem, qui potestatem habet ad id jure agendum'. Hodie jus hoc sibi reservandi collationem alicujus beneficii est proprium solius Romani Pontificis, dum jure decretalium etiam Legatus a latere in provincia suæ delegationis poterat sibi reservare collationem aliquorum beneficiorum *c. 3. De Officio Legati in 6^o.*

49. Ratio vero cur in praxi introductum fuit et servatur jus reservationis aliquorum beneficiorum Romano Pontifici multiplex est. Supposito enim quod Romanus Pontifex censetur in jure ceu supremus administrator et distributor bonorum ecclesiasticorum *cit. Cl. 1. ut lite pendente,* congruum visum est reservari Romano Pontifici provisionem aliquorum beneficiorum 1^o. ut ea conferat Clericis de Ecclesia universali optime meritis *Gloss. in Extrav. un. h. t. inter Joanneas et reservamus,* 2^o. ut major conservetur unio et dependentia personarum ecclesiasticarum a centro unitatis catholice seu a R. Sede *can. 21. caus. 9. quæst. 3.* Reservare autem potest sibi Pontifex beneficia reservatione generali, vel speciali; reservatione generali quidem, cum sibi reservat in communi plura beneficia, speciali autem cum certum aliquod beneficium sibi reservat. Sub generali reservatione non veniunt quædam beneficia, nisi de ipsis specialis mentio fiat. Sunt vero hæc beneficia præsertim 1^o. ea quæ perpetua non sunt relate ad possessorem, sed revocabilia sunt, et ad nutum conferuntur, idest beneficia manualia, 2^o. Beneficia juris patronatus laicorum. 3^o. Beneficia quæ a reservationibus excluduntur in particularibus regnorum concordatis cum Sede Apostolica.

50. Alia distinctio est inter reservationem, quæ per bullas seu constitutiones perpetuas efficitur, et eam, quæ in regulis Cancellariæ Apostolicæ describitur. Prior reservatio perpetuo durat, seu

quoadusque non fuerit per aliam constitutionem Pontificis abrogata. Secunda viget solummodo vivente Pontifice, scilicet sede plena. Nam moriente Pontifice, Regulæ Cancellariæ amittunt vim suam et eam recipiunt iterum quando a novo Pontifice confirmantur. Quare ordinarius collator sede vacante potest conferre beneficia reservata in Regulis Cancellariæ Apostolicæ. Qua in re animadvertendum est, nonnullas reservationes haberi in Regulis et simul in constitutionibus generalibus et bullis. Hæ reservationes non suspenduntur sed vigent etiam tempore sedis vacantis.

51. Prioris generis plures dantur reservationes: 1^o. reservantur beneficia, quæ vacant in Curia Pontificis *c. 2. h. t. in 6^o*. Censentur autem vacare in Curia 1^o. beneficia Officialium Romanæ Curiae idest officialium familiarium Papæ et Cardinalium; 2^o. beneficia clericorum, qui ratione ecclesiasticorum negotiorum venientes ad Curiam Romani Pontificis vel in loco ubi residet Curia moriuntur, vel in locis vicinis. Loca autem vicina sunt, quæ a Curia non distant ultra duas dietas legales, idest non 40 milliaria italica. *c. 34. h. t. in 6^o*. Dieta legalis complectitur spatium seu distantiam, quam quis una die percurrere commode posse præsumitur, idest viginti milliaria, scilicet circiter septem leucas. *L. Si quis et L. Vicena millia ff. de Verbor. Signif.* Hæc vero reservatio perpetua non est, sed post mensem computandum a die vacationis, non autem a die notitiæ vacationis, potest beneficium adhuc vacans conferri ab ordinario collatore; *c. 3. h. t. in 6^o*. — 2^o. Reservatur S. Sedi beneficium collatum per Simoniam confidentialem *Const. 85. Pii IV. Romanum Pontificem*. Quam constitutionem confirmans S. Pius V. in *Const. Intolerabilis* extendit ad omnia beneficia, quæ possidebat confidentiarius. 3^o. Reservantur beneficia, quæ fuerint collata non servata forma Tridentini. *Const. 33. S. Pii V. In conferendis*. 4^o. Beneficia vacantia propter crimen hæresis. Ita in *Const. 29. S. Pii V. Cum ex apostolatus*. Dantur præterea reservationes, quæ in Regulis Cancellariæ Apostolicæ continentur. Porro Regulæ istæ a Cancellaria Apostolica appellantur, non quia solos officiales illius Cancellariæ obligant, sed quia respiciunt præsertim expeditiones literarum apostolicarum per ipsam Cancellariam in conferendis beneficiis faciendas. Regulæ autem hujusmodi nihil aliud sunt quam quædam constitutiones quas singuli Pontifices a principio sui Pontificatus facere consueverunt post Joannem XXII., qui prior fuisse videtur earundem auctor. Hæ regulæ solent esse

72. Regulæ Cancellariæ interpretatur præsertim Riganti Joannes Baptista, cujus opus in re canonica est maxime utile.

52. Inter alias speciali declaratione indiget Regula 9. quæ de mensibus papalibus, et de mensibus episcopalibus est. Vi regulæ hujusmodi reservantur R. Pontifici beneficia aliunde etiam non reservata, quæ extra Curiam non quidem per renunciationem, sed aliis modis vacaverint in mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris. Possunt vero Episcopi exposcere in scriptis et assequi a Dataria Apostolica alternos menses, ita scilicet ut Pontifex conferat beneficia vacantia mense Januario, Episcopus vero conferre possit beneficia aliunde non reservata, quæ vacent mense Februario ac sic deinceps quoad alios menses. Menses in quibus confert Papa appellantur menses papales, menses autem reliqui dicuntur episcopales. Hæc regula observatur in Dataria Apostolica pro locis in quibus conventiones, vulgo concordata cum civili auctoritate inita non fuerint. Ubi enim adsit concordatum normæ concordati ipsius observantur.

53. Notandum autem est S. R. E. Cardinalibus in eorum creationi concedi solere per Litteras Apostolicas in forma *Brevis* indultum conferendi Beneficia ad eos pertinentia quocunque mense vacaverint dummodo non sint aliunde reservata. Unde Cardinales non Episcopi Romæ in suis Titulis et Cardinales Episcopi in suis diocesisibus non tenentur observare legem Regulæ IX. Cancellariæ Apostolicæ de mensibus papalibus. At si beneficium vacet in mense papali et ejus reditus excedant annua viginti quatuor ducata auri de Camera, illud quidem confert Cardinalis, sed provisio expediri debet per literas apostolicas in Cancellaria R. Pontificis. *Riganti ad Reg. IX. Canc. Apost. § 3. n. 153.*

De affectione Beneficiorum.

54. Si Romanus Pontifex manus apposuerit in aliquo beneficio cum intentione de eodem disponendi, beneficium illud dicitur affectum, et ob reverentiam Sedi Apostolicæ debitam, collator ordinarius censetur impeditus quominus pro ea vice beneficium conferat. Affectio igitur relationem dicit ad reservationem quia pro ea vice collatio beneficii reservatur Romano Pontifici.

55. Differt vero affectio a reservatione, tum quia reservatio procedit ex bulla, vel ex Regula Cancellariæ, affectio autem procedit seu inducitur ex facto appositionis manus Pontificis, tum quia

reservatio in genere respicit beneficium in omnibus collationibus, affectio autem pro ea tantum vice in qua manus apposta est. Ut autem verificetur affectio, debet Pontifex apponere manus in ordine ad collationem; scilicet debet manifestare intentionem disponendi de Beneficii collatione. Casus affectionis esset si beneficium vacans Pontifex conferret in Commendam, vel in administrationem. Cessante commenda vel administratione, collatio spectat ad Romanum Pontificem. Pariter affectum redditur beneficium ex mandato de providendo, quod concedatur pro aliquo speciali beneficio nondum vacante. Sic etiam si Pontifex exquirat ab alio renunciationem beneficium in propriis manibus, aut aliquem privet beneficio quod possidet. Hinc ex. gr. affectum non redditur beneficium si Pontifex tantummodo pensionem imponat; sic pariter si disponat de beneficio per errorem, reputans illud esse sibi reservatum.

De aliis Collatoribus.

56. In dioecesi ordinarius collator beneficiorum est Episcopus, qui habet hac in re fundatam intentionem in jure, ita videlicet ut nemo alius possit sibi vindicare collationem, nisi probaverit titulum specialem ex quo sibi competat hæc collatio. Tituli autem hujusmodi sunt: 1^o. privilegium Pontificis, 2^o. lex in tabulis foundationis expressa, 3^o. præscriptio seu consuetudo vel centenaria vel immemorialis. Quid vero dicendum de potestate capituli Cathedralis Ecclesiæ sede vacante?

57. Capitulum et ejus Vicarius non potest sede vacante conferre beneficia liberæ collationis, quorum collatio spectat exclusive ad Episcopum *c. 2. Ne Sede vacante*. Nam collatio hujusmodi non est actus necessariæ administrationis, quæ capitulo ejusque vicario competit, sed liberalitatis *c. 9. h. t.* In genere autem actus liberalitatis reservantur tantum Episcopo *c. 4. de Off. ord. et c. 40. de Elect.* Dicitur vero quorum collatio pertinet ad solum Episcopum.

58. Nam si collatio beneficium communiter pertineret ad Episcopum simul et ad Capitulum, hoc in casu, sede vacante ex jure non decrescendi, conferre illud posset Capitulum *c. un. Ne sede vacante in 6^o*. Hæc vero regula locum non habet quando Episcopus est qui confert, sed exquirere debet consilium vel etiam assensum capituli; quemadmodum docet idem *c. un. Ne Sede vacante*

§ *Cum vero in 6^o*. Item capitulum non potest conferre beneficia, quæ ex negligentia inferioris collatoris devolvuntur ad Episcopum. Hæc enim beneficia incidunt sub regulam expressam in *c. 3. Ne sede vacante et in cap. un. ejusd. tit. in 6^o*. videlicet capitulum non posse conferre beneficia quorum collatio pertinet ad Episcopum. Potest autem capitulum sede vacante vel confirmare electionem in beneficiis electivis dioceseos vel instituere in beneficium clericum idoneum præsentatum a patrono. Collationes enim hujusmodi non censentur esse actus liberalitatis, sed necessitatis. Nam confirmatio et institutio sunt actus debiti erga determinatas personas, si personæ hujusmodi necnon electio vel præsentatio qualitibus canonicis munitæ sint. *Conf. c. 14. de Majoritate. et Ob. necnon c. 3. de Elect. et Elect. pot.*

De regulis collationis.

59. 1^a. Regula est, ut quævis collatio fiat, nullo intercedente pretio seu mercede temporali pro jure beneficium quod conceditur; secus enim collatio tamquam simoniaca nulla est. *Extr. Cum detestabile de simonia inter comm.* Huic regulæ similis est 2^a. ut nempe non adjiciatur privata auctoritate pactum seu conditio in ordine ad aliquod onus spirituale alienum a beneficio, et noviter inducendum: ex. gr. ut Missa celebretur a novo Beneficiario quadam hora determinata; sed pure conferri beneficium debet. *Pactio enim, ut docet c. 5. de Rer. permut., circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem semper continet Simoniacæ.* Collatio insuper 3^o. veri et proprie dicti beneficium debet fieri in perpetuum, seu ut duret ad vitam Clerici, nec simul duobus clericis fieri potest vel ut eodem tempore uterque possideat beneficium, vel ut successive unus possideat post alium *c. 20. h. t.* — 4^a Regula est, ut collatio fiat intra tempus utile statutum a jure. Pro beneficiis majoribus, uti vidimus, tempus utile est trimestre. Pro aliis et communibus beneficiis, etiam dignitatibus concessum est a jure semestre ab habita notitia vacationis. Tempus enim ignorantibus non currit *c. 41. de Elect. et capp. 2. et 5. de Concess. Præb.* 5^a. Regula est, ut servetur in collatione forma in jure communi vel in statutis Ecclesiæ particularis ubi erectum est beneficium, vel in lege foundationis præscripta, vel etiam a legitima consuetudine inducta.

60. De forma a jure communi præscripta agentes, loqui præsertim debemus de forma concursus quam servandam esse præ-

cipit Trid. Concilium in collatione beneficiorum, quibus cura animarum adnexa est. De hac re loquitur Tridentinum in *c. 18. sess. 24. de Ref.* Statuit nempe Concilium, ut statim ac Episcopus habuerit notitiam vacationis Ecclesiae, constituat in Ecclesia vacante seu in Parœcia idoneum Vicarium, cui ex præbenda parochiali adsignet portionem fructuum pro congrua vitæ sustentatione, et deinde, intimato per edictum concursu, deveniatur ad examen. Cum vero Tridentinum formam examinis non determinaverit, eam præfiniverunt literæ Encyclicæ *Clementis XI. diei 10. Januarii 1721* et Constitutio *Benedicti XIV. Cum illud diei 14. Dec. 1742.* in qua Pontifex inserit easdem literas *Clementis XI.* Ex quibus locis juris deducimus, provisionem parœciarum ita procedere debere ut 1^o. intimetur concursus et præfigatur terminus intra quem Cancellario Episcopi vel alteri ad hoc determinato a singulis concurrentibus exhibeantur propria requisita. Horum requisitorum rationem habere debent examinatores ita ut non solum de scientia, sed etiam de vita et moribus et de personalibus qualitatibus iudicium ferre debeant. 2^o. Concurrentes clausi omnes in eodem conclavi tempore congruo et determinato, latino idiomate utentes respondere debent in scriptis quæstionibus aliquibus moralibus propositis sub forma casuum seu specierum concretarum et conscribere etiam in lingua vernacula debent brevem orationem in themate quod proponitur. Quæ omnia scripta, ad authenticitatem probandam in casu litis, subscribuntur ab Episcopo vel ejus Vicario et ab examinatore et Cancellario concursus. 3^o. Debent examinatores æquo iudicio librare responsiones a concurrentibus scripto datas ad quæstiones propositas, nec non brevem orationem in lingua vernacula conscriptam. Tandem perscrutari debent et expendere requisita, et qualitates singulorum concurrentium. Hisce omnibus conjunctim rite perpensis; idoneos clericos Episcopo designare debent, Episcopus vero Parœciam conferat clerico, qui sibi visus fuerit magis idoneus magisque dignus inter approbatos ab examinatore. 4^o. Concursus etiam est intimandus ab Episcopo quando collatio Parœciæ reservata est Romano Pontifici.

61. Quod si collatio pertineat ad Romanum Pontificem eo quod vacaverit in mensibus reservatis Episcopus eligere debet magis idoneum et eum præsentare Datarie apostolicæ, quin mittat acta concursus, nisi requirantur. Quod si reservatio ex alio capite procedat, hoc in casu Episcopus transmittere debet simpliciter acta

conkursus ad Datariam quæ per seipsam videbit cuinam conferendum sit beneficium curatum.

62. Quædam quæstiones modo proponendæ sunt. 1^o. Examinatores saltem esse debent tres, secus collatio nulla censetur ex tridentina dispositione. Debent vero ferre suffragium antequam a loco examinis recedant. Quæritur vero 1^o. an Episcopus, vel ejus Vicarius possint ferre votum decisivum simul cum examinatore. Et placuit in genere nullam partem esse Episcopo aut ejus Vicario, si examini assistant, et solummodo ferre posse suffragium decisivum quando vota examinerum sunt vel paria hinc inde divisa, vel sint singularia, ita scilicet ut quisque examinatus non conveniat cum aliis. Hoc nempe duplici in casu antequam recedunt a loco examinis, potest Episcopus vel ejus Vicarius suffragio suo accedere alicui vel aliquibus examineribus. Ita respondisse S. Congregationem Concilii anno 1573 refertur in libro decretor. p. 158 juxta mentem Tridentini in loco citato.

63. 2^o Quæstio. Examineribus competit onus examinis non solum scientiæ sed etiam morum, prudentiæ, ætatis, laborum pro Ecclesia præstitorum et in genere judicare debent circa qualitates et dotes requisitas pro Parochis ad curam animarum rite gerendam. Ita S. Congregatio in *Urbinat. ann. 1601* et *Hydruntina 19. Junii 1638.* Quæ omnia nisi examinatores præstiterint, nullus est concursus et nulla est collatio beneficii parochialis, quemadmodum resolvit S. Congr. Concilii die 2. Augusti 1607.

64. Quibus positis quæritur an ad eosdem examinatores pertineat designare quinam sit magis idoneus inter concurrentes cui juxta Tridentinum conferatur Parœcia vacans? Dicendum est iudicio Episcopi reservari electionem dignioris inter eos, quos examinatores, omnibus perpensis, idoneos judicaverint. Verba satis clara sunt Concilii in cit. *c. 18.* 'Ex hisque', ajunt Patres Tridentini, 'idest ex approbatis, Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit'. Et interrogata hac super re S. Congregatio ab Episcopo Patavino anno 1573, expresse respondit, iudicium ad determinandum magis idoneum proprium non esse examinerum, sed Episcopi ipsius. Quam sententiam secutus est *Benedictus XIV.* in citata constitutione *Cum illud § Absoluto examine.* Poterit ergo Episcopus, si velit, exquirere consilium examinerum ad magis idoneum determinandum, at non tenebitur illud amplecti.

65. 3^o. Quæstio. Quid dicendum, si emisso ab Episcopo decreto, quo digniorem designavit, enascatur quæstio, et quidam ex concurrentibus, ratus se spretum fuisse, et postpositum electo minus digno, proponat appellationem, vel a mala relatione examinerum vel ab irrationabili iudicio Episcopi? Appellatio hæc servatur in devoluto et non in suspensivo. Appellatio vero intra decem dies a die collationis beneficii numerandos proponi potest vel coram Metropolitanano, vel si eligens fuerit ipse Metropolitanus aut exemptus, coram viciniore Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ delegato, vel alias directe coram ipsa S. Sede.

66. In Const. 33. S. Pii V. statutum erat ut coram iudice appellationis novum examen seu concursus fieret. At hæc dispositio correctæ est a Benedicto XIV. in cit. Const. *Cum illud* in qua Pontifex decernit coram iudice appellationis producenda esse acta integra concursus jam habiti, ita ut iudicium in gradu appellationis ferendum sit super iisdem actis, nec concurrentibus liceat alia documenta seu requisita producere. Hæc autem mutatio facta est ad præcavendos abusus, qui irrepserant. Namque non semel contigit, ut qui in primo concursu rejecti fuerant, vel minora suffragia retulerant, se melius ad novum examen subeundum disponerent et præpararent simulque nova documenta expiscarent, atque ita meliorem in secundo examine exitum obtinentes eluderent malum exitum prioris concursus.

67. Porro si ab examine actorum sequatur sententia conformis in gradu appellationis iudicio episcopali, hoc in casu iudicium huiusmodi transit in rem iudicatam, et redditur legitima collatio parœciæ facta ab Episcopo. Quod si difformis sententia fuerit in gradu appellationis, iudex tertie instantiæ videbit causam, et ex ejus sententia habebitur res iudicata vel quoad decretum episcopale vel quoad sententiam in primo gradu appellationis, prout sententia tertii gradus alterutri fuerit conformis. Ille proinde obtinebit parœciam qui binas habuerit sententias conformes. Si autem appellatio immediate fiat ad S. Sedem huius iudicio standum erit. —

68. Quæritur an et qua forma conferatur beneficium curatum non liberæ collationis.

Si Beneficium curatum sit juris patronatus ecclesiastici, hoc in casu intimandus et conficiendus est concursus eademque ratione complendus qua conficitur pro beneficiis parochialibus liberæ collationis, et in eo differentia est, ut completo examine non Episcopus

sed patronus eligat digniorem inter approbatos et illum præsentet Episcopo ut concedat eidem institutionem canonicam in beneficio. Quod vero electio dignioris non ad examinatores, sed ad patronum pertineat, præter verba Tridentini in cit. c. 18. sess. 24. de Ref. quæ satis clara sunt, habemus resolutiones S. Congr. Concilii hoc ipsum declarantis. Sic in causa *Barchinonensi an. 1573*.

69. At si Beneficium curatum sit juris patronatus ecclesiastici et ejus institutio non ad Episcopum, sed vel ad ipsum Romanum Pontificem pertineat vel ad alium: in utroque casu ex dispositione Concilii Tridentini electio dignioris præ aliis perficienda erit ab Episcopo et Patronus præsentabit illum, quem Episcopus elegit. cit. sess. 24. c. 18. de Ref.

70. Quod si vero jus patronatus sit laicale, ex hoc cap. 18. nec concursus, nec electio dignioris locum habet, sed patronus præsentat Episcopo personam quæ ab examineribus synodalibus specimini subjicietur, ut ejus capacitas et idoneitas appareat. Potest vero aliquando locum habere examen per concursum in collatione parœciæ juris patronatus laicalis. Id autem contingit, cum plures et distincti sint patroni, et distinctas personas præsentent.

71. Quid vero dicendum de collatione Beneficii curati juris patronatus mixti? Quæstio erat, sed S. Congr. die 5. Febr. 1620 decrevit, collationem hanc non subjici legi examinis per concursum, sed sufficere examen idoneitatis personæ, quæ a patrono vel patronis fuerit præsentata. —

72. Præter beneficia patronata laicalia et mixta adsunt etiam et alia beneficia curata quæ eximuntur a lege examinis per concursum. Plures adnumerantur casus ab auctoribus et videri possunt penes Barbosam in tract. *de officio et potest. Episcopi alleg. 6^o. partis III. n. 18. et seqq.* Præcipui vero sunt 1^o. Cum cura animarum adnexa est monasterio regularium, quo in casu monasterium præsentat Episcopo religiosum virum, quem idoneum in examine repertum, Episcopus instituit. *Const. 47. S. Pii V. Ad exequendum § 4. et 5.* 2^o. Sine concursu conferri poterit parochialis Ecclesia, si ita Episcopus, audito prius examinerum consilio, judicaverit, 1^o. quando adeo sint exigui redditus parœciæ, ut totius hujus examinationis operam non ferant, unde prævideat Episcopus nullum fore qui examini per concursum sese subjiciat. Ita Conc. Tridentinum in citato cap. 18. sess. 24. Talem esse parœciam, cujus redditus minores sunt 24 ducatis annuis de Ca-